Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

In catenam super Marci et Iohannis evangeliis editam - Cod. Aug. pap. 6

Thomas <von Aquin, Heiliger>

[Reichenau], [15. Jahrh.]

Cap. XI

urn:nbn:de:bsz:31-84699

Visual Library

videre cum solis angelis possimus ad quam
via fides est. Unde et ceco respondetur
fides tua te salvum fecit. Videt autem et
sequitur qui bonum quod intelligit operatur. Ihesum
enim sequitur qui imitatur qui prosperari in hoc
mundo noluit obprobria irrisiones toleravit.
Et quia recte corporalium delectacione a gaudio
interno cecidimus cum qua amaritudine illuc
redeatur ostendit. Theophilus dicit autem quod per-
secutus est dominum in via scilicet in hac vita
qua post hanc excluduntur omnes qui hic
eum non secuntur ab operando mandata eius.
Jeronimus Vel via ista que dixit Ego sum
via veritas et vita hec est via angusta que
ducit ad ardua Jerusalem et bethanie ad mon-
tem oliveti qui est mons lucis et consolacionis.

Sequitur Capitulum xi

Et cum appropinquaret
Crisostomus postquam
dominus sue virtutis suffi-
cientem experienciam
dederat et crux in-
stabat et passio iam vici-
na, maiori claritate agit quam ad adversarios in-
flammatura erat. Et ideo quamvis multociens
prius ascendit Jerusalem, nunquam tamen cum tanta
excellencia sicut modo. Theophilus Ut si vo-
lunt valeant gloriam eius cognoscere et pro-
phetias de eo completas sentirent quod est
verus deus. Si vero noluerint magis fiet
eis prejudicium quia tot claris miraculis non
crediderunt. Huius igitur adventus claritatem
ewangelista describens dicit. Et cum appro-
pinquaret Jerusalem et bethanie ad montem oliveti
misit duos ex discipulis suis. Beda Be-
thania villula est sive civitas in latere
montis oliveti ubi lazarus suscitatus est a mor-
tuis. Quos autem discipulos miserit et ad quid
ostendit subdens Et ait illis Ite in castellum
quod contra vos est. Theophilus Considera
vero quanta dominus discipulis predixit scilicet quod
invenient pullum. Unde sequitur Et
statim introeuntes illuc invenietis pullum
ligatum super quem nemo adhuc hominum se-
dit solvite et adducite illum. Et quod impedientur
ab accipiendo. Unde sequitur. Et si quis vo-
bis dixerit quid facitis quia domino necessarius dico
est et quod hoc dicto permittent accipere vos.

sequitur Et continuo dimittet huc. Et sicut
dominus predixerat ita impletur. Unde sequitur
Et abeuntes invenerunt pullum ligatum ante
ianuam foris in bivio et solvunt eum. Augustinus
de consensu ewangelistarum Matheus asinam dicit et
pullum. Ceteri autem de asina tacent. Ubi ergo
utrumque factum potest intelligi nulla repugnancia
est nec si alius unum alius aliud commemora-
ret. Quanto minus moveri oportet si alius unum alius
utrumque commemoraret. Sequitur Et quidam de
illic stantibus dicebant illis Quid facitis
solventes pullum. Qui dixerunt eis sicut
preceperat illis ihesus et dimiserunt eis scilicet
pullum. Theophilus Non autem hoc
permitterent nisi divina virtus eos cohiberet
cogens illos presertim quia rusticos existentes
et colonos permiserunt pullum auferre. Sequitur
Et adduxerunt pullum ad ihesum et imposuerunt
illi vestimenta sua et sedit super eum. Crisostomus
Non quidem quod ex necessitate a monte oli-
veti usque Jerusalem super pullum ire dominum opor-
tebat cum iudeam et omnem galileam peram-
bulavit sed signum erat quod fiebat. Sequitur
Multi autem vestimenta sua straverunt in via.
Jeronimus Sub pedibus pulli asine. Alii autem
frondes cedebant de arboribus et ster-
nebant in via. Magis hoc ad ornatum
et ad sacramentum pertinet quam ad necessitatem. Sequitur
Et qui preibant et qui sequebantur clamabant
dicentes Osanna benedictus qui venit in nomine
domini. Multitudo enim donec corrupta non
fuit cognovit quod congruum erat propter quod
honoravit ihesum unusquisque secundum propriam
virtutem. Unde laudantes aptum ympnum da-
viticum assumpserunt dicentes Osanna quod
secundum quosdam idem est quod salvum me fac.
Secundum vero quosdam idem est quod ympnus.
Verissimo autem primum verum esse. Nam in cen-
tesimo xvii psalmo habetur O domine salvum
me fac quod in hebraico scribitur osanna.
Beda Est autem osanna verbum hebraicum
compositum ex duobus corrupto et integro.
Salva namque sive salvifica apud eos di-
citur. Anna vero interiectio est deprecantis
quomodo apud latinos interiectio est dolentis
heu. Jeronimus Osanna igitur id est salvifica
dicitur ut homines salventur ab eo benedicto

venienti et veniente in nomine dni i.
patris sui qui filius dei pre ceteris suscepit nomen et
patre de filio **Theophilus** Sic igitur dant deo gloriam
dicentes Benedictus qui venit in nomine dni
Benedictum quod venit regnum patris nostri
david. Regnum autem david regnum populi dice-
bant et quia de semine david populus descen-
derat simul et quia david interpretatur manu
fortis. Unus enim fuit manu fortis nisi
dominus cuius manibus tot et talia miracula
operata sunt **Crisostomus** Unde et multotiens
prophete david populum nuncupant propter origi-
nem populi ex david secundum carnem **Beda**
legimus autem in evangelio iohannis quia
cum facerent eum regem in montem fugit
nunc autem ubi passurus iherusalem venit non
refugit eos qui se regem nuncupant. ut
attendaret. quia non temporalis et terreni
sed eterni melius rex esset imperii atque ad
regnum per contemptum mortis perveniret. No-
tandum autem quanta sit consonancia turbe cum
voce gabrielis qui ait. Dabit illi dominus
sedem david patris sui. ut saltem gentem
cui david quondam temporale regnum gubernacula
prebuit hanc ipse ubique et sacius ad regnum ce-
leste vocaret **Crisostomus** Et ulterius dant
gloriam deo cum subdimt. osanna in excelsis
id est in supremis et gloria sit omnium deo qui
est in excelsis **Jeronimus** Vel osanna i.
salvifica in excelsis et [illegible] unus et
iusta consistent in luciam angelorum et terrenis
et subterraneis cum salvent. confice autem ap-
propinquat dominus nomine que est visio pacis
et qua manet supra immobilis felicitas que
secundum apostolum mater est omnium credencium **Beda**
Bethania autem obediencie dicitur qui multos
ante passionem suam docendo domini sibi obe-
diencie effecit et in monte oliveti posita
esse dicitur. quia etiam unctos spiritualium carismatum
et sic pietatis et luce refovet ap-
sit autem discipulos in castellum quod contra eos
erat hoc est doctores qui in doctrina totius or-
bis loca quasi contra positi castelli menia
evangelizando penetrarent destinavit **Je-**
ronimus Binos vocavit et binos mittit discipuli
populi qui caritas non ~~cum sit cognoscit~~ consistit ad
unum. Unde dicitur Ve soli quia Duo educant

celebratos de egipto. Duo portant botrum de
terra sed ut semper preponi iungant opus et
sciam et duo mandata de duabus tabulis
proferant et duobus fontibus abluantur et ablu-
ant. et duobus vectibus archam dni portent
et inter duos cherubin deum cognoscant spiritu
et mente psallentes **theophilus** Non autem
erat ei notus pullus sed cum quesivit os-
tendens quod debebat se ad gentilem populum
transferre **Beda**. Pullus enim asine las-
civus et liber. populum nationum significat
super quem nemo adhuc hominum sedit quia
nemo rationabilium doctorum frenum correptionis
quo vel linguam cohiberet a malo vel mar-
tam vite viam ire cogeretur utilia suadendo
contulerat **Jeronimus super lucam** In venerunt
autem pullum ligatum ante ianuam foris. quia
populus gentilis ligatus erat vinculis peccatorum
suorum ante ianuam fidei i. extra ecclesiam
Ambrosius vel induxit eum ligatum ante ianu-
am qui extra populum quicumque est alienus est
in via. Christus autem intro est foris in transla-
tive in bivio addidit. ubi nullius certa pos-
sessio non presepe. non alimenta non stabulum
miseranda servitus cui vagum ius est plures
enim dominos habet. qui unum non habet. Alii unum
non habent alieni alligant ut possideant. Iste
tamen solvit ut teneat vehemenciora enim
dona noverat esse quam vincula **Beda**. Vel
recte in bivio stabat quia non unam certam
vite fidei quam tenebat sed plures dubiosque
sectarum calles sequebatur erroneus **Jeronimus**
Vel in bivio i. in libertate arbitrii dubitans
inter vitam et mortem **Theophilus** Vel in
bivio i. in vita hac. Solutus est autem a
discipulis per baptismum et fidem **Jeronimus**
Quidam autem dicebant Quid facitis dicit
dicentes Quis potest dimittere peccata **Theophilus**
Vel prohibentes sunt demones quibus scilicet sunt
apostoli fortiores **Beda** vel magistri errorum
qui venientibus ad salutem gentium doctoribus
obsistebant. Et postquam fidei domini potestas
apparuit credentibus adversariorum querelis. li-
ber credencium populus. adducitur qui eum de portaret
adducebatur. Vestimenta autem apostolorum
que illi imponunt. vel doctrina virtutum vel

discretio scripturarum vel ecclesiasticorum dog-
matum varietates intelligi possunt quibus illi cor-
da hominum ante nuda et frigida quasi corpore sessore
digna fiant operuit. Ieronimus Vel imponunt
vestimenta sua .i. stolam primam immortalitatis
per baptismum sacramenta afferunt. Sedit
autem ihesus super eum .i. in eis regnare cepit
et non regnet peccatum in lascivia carnis. Sed
iusticia et pax et gaudium in spiritu sancto. Alii
autem straverunt vestimenta sua in via sub pe-
dibus pulli asine. Qui sunt pedes insidentis
nisi qui portant quos ad iudicandum consti-
tuit apostolus qui et ipsi et si non sint dor-
sum in quo sedit dominus tamen cum virtutibus
a sole instruuntur. Beda Vel multi vesti-
menta sua in via sternunt quia sancti martires pro-
pe carnis amictu exponentes simplicioribus
dei famulis viam suo sanguine parant.
Multi etiam vestimenta sua per abstinenciam
domant ut dei iter ad montem parent
vel exempla bona sequentibus prebeant. Fro-
ndes autem vel ramos de arboribus cedunt
qui in doctrina veritatis semina patrum de eorum
eloquio rapiunt et hec in via dei ad audito-
res animo venientis humili predicatione sub-
mittunt. Theophilus Sternamus nos et via
vite nostre cedentes ramos de arboribus .i. sanctos
imitantes. Nam arbores sancti sunt de quibus
ille ramos cedit qui virtutem imitatur eorum.
Ieronimus Iustus enim ut palma florebit
angusta radicibus, lata in floribus et fructibus,
quando odor bonus Christi sit et sternit via
mandatorum dei bona fama. Qui preibant
prophete sunt et qui sequebantur apostoli. Beda
Et quia omnes electi sive qui in Iudea esse po-
tuerunt sive qui nunc in ecclesia extiterunt in media-
torem dei et hominum crediderunt et credunt
qui preeunt et qui sequuntur osanna clamabant.
Theophilus Sed et qui preeunt et qui sequuntur
in modo actuum ad laudem sunt dei. Quidam enim
in prima vita bonum fecerunt initium sequente
vero non est ut por neque in laude dei
finita. ¶ Et introivit Ierosolimam. Beda
Appropinquante tempore passionis appropinquare
voluit dominus loco passionis ut per hoc insi-
nuaret quia sua sponte mortem subiret.
Unde dicitur Et intravit Ierosolimam in tem-
plum. Ut autem ingressus civitatem primo

templum adiit formam nobis religionis
quam sequamur premonstrat ut cum forte quibus-
libet in quo sit domus orationis intramus primo ad
hanc divertamus. Hoc quoque intelligendum est
quod tante dominus fuit paupertatis et ita nulli sit
adulatus ut in urbe maxima nullam hospite
nullam invenit mansionem. Sed in agrulo parvulo
apud Lazarum sororesque eius habitaret. Eorum
quippe vicus Bethania est. Unde sequitur
Et circumspectis omnibus cum iam vespera
esset hora exiit in Bethaniam cum duodecim. Non
hoc semel fecit sed per omnes quinque dies ex
quo Ierusalem ascenderat usque ad tempus pas-
sionis hoc ipsum semper agere solebat ut
per diem in templo doceret. Nocte vero ex-
iens moraretur in monte Oliveti. Sequitur
Et alia die cum exirent a Bethania esuriit.
Crisostomus Qualiter autem mane esuriebat
ut Matheus dicit nisi quia dispensative
hoc carni sue concessit. Sequitur Cumque
vidisset a longe ficum habentem folia
venit si quid forte inveniret in ea. Cui
manifestum est autem quod hoc secundum suspicionem
discipulorum dicitur qui estimabant propter hoc
Christum ad ficulneam accessisse et propter hoc ficulneam
ipsam maledictam esse quod in eo fructum non in-
venit. Nam sequitur Et cum venisset ad
eam nichil invenit preter folia. Non enim
erat tempus ficorum. Et respondens dixit
ei: Iam non amplius in eternum quisquam ex te
fructum manducet. Maledixit ergo ficul-
neam propter discipulos ut confiderent. Nam
enim ubique beneficia tribuebat nullum quem puni-
ebat. Oportebat autem eius sic punitive virtutis
demonstrationem prebere ut dicerent quod possent etiam
iudeos persequentes siccare. Voluit hoc de-
monstrare in hominibus. Unde in planta sic pu-
nitive virtutis prebuit signum. Unde ostenditur
quod principaliter propter hoc ad ficulneam venit
non propter esuriem. Quis enim tam insipiens est
ut putet quod matutino tempore tali simularetur
esurire dicit quod est quod impediret eum
comedere antequam dominum exiret. Neque per dicta
quod ipsi fructus exstiterunt in esuriem appeti-
tum. Non enim erat ficorum tempus. Sed si esurie-
bat cur de aliis eamdem non querebat. Sed

de ficu fructus ante tempus tribuere non va-
lente alia causa pena culpe digna fecit non
hec fuit tamen ante tempus. Itaque Theophylus suffici-
enter ſlogiuari potest quia ipsam volebat demum
rediturum ut non fatigarent animus in eius
passione. Theophilus volens ostendere discipulis
quod si vellet hos qui crucifixuri erant ipsum
in momento posset exterminare. Arescere
autem dominus introivit in templum sed rursus
exivit ostendens quod ipsum relinquet de-
sertum et inhabitatum. Beda. Circumspi-
ciat autem omnia corda et mores dicentibus vi-
tam non inveniens ubi caput reclinet se
reddit ad fideles et in eis qui obedivit
mansionem facit. Bethania namque domus
obediencie dicitur. Ieronimus Mane autem ad
iudeos venit atque nos in vespera invisi-
visitat. Beda Sicut autem parabolas loqui-
tur et operatur. Unde esuriens in ficu fructum
querit cuius non dum tempus esse noverit et
tamen eam perpetua sterilitate dampnat ut
ostenderet plebem iudeorum propter folia id est verba
iusticie que habebat sine fructu id est bono opere
non posse salvari sed scindi et in ignem mit-
ti. Esuriens ergo id est salutem humani generis de-
siderans vidit ficum id est iudeos habentem folia id est
eloquia legis et prophetarum et quesivit in ea
fructum boni operis docendo corripiendo mi-
racula faciendo et non invenit et ideo
dampnavit. Tu quoque si non vis dampnari
a Christo in iudicio arbor sterilis esse caveto
sed potius pauperi Christo fructus pietatis quo
indiget offerte. Crisostomus Est autem et aliter
dicere quod dominus ante tempus fructum quesivit
in ficu et non inveniens maledixit. quia
omnes qui mandata legis adimplent ante
suum tempus fructificare dicuntur sicut est id
mandatum Non mechaberis. Qui autem
non solum non mechatur sed permanet virgo
quod est virtutibus excedit. Dominus autem per-
fectos non solum exigit ut virtutes observent
sed supra mandata fructificent. Textus Et ve-
niunt Ierosolimam. Beda. Quia male-
dicendo ficum infructuosam per figuram dominus
fecit hoc idem manifestius ostendit eiciendo

improbos de templo. Ficus enim non peccavit
si ante tempus fructum non habuit sed sacerdotes
vendebant. Textus Et venit Ierusalem. Et cum in-
troisset in templum cepit eicere ementes et
vendentes in templo. Et quidem credendum
est quod ea tantum vendi vel emi repperit in tem-
plo que ad ministerium templi essent necessaria.
Si ergo ea que alibi libere geri poterant
dominus in domo sua temporalia negocia geri non
patitur quanto magis ea que nusquam fieri licet
plus celestis ire merentur si in edibus domini
sacratis aguntur. Sequitur Et mensas nu-
mulariorum. Theophilus Nummularios vocat
campsores nummorum. Nummus enim genus eris
minimi est. Sequitur et cathedras ven-
dencium columbas evertit. Beda. Quia spiritus
sanctus in columba super dominum apparuit recte
per columbas spiritus sancti carismata designatur.
Columba igitur venditur cum manus impositio
per quam spiritus sanctus accipitur ad precium prebetur. Ca-
thedras autem vendencium columbas evertit
quia qui spiritualem gratiam vendunt vel ante
homines vel ante dei oculos sacerdocio pri-
vantur. Theophilus Sed et si quis baptismatis
graciam et puritatem tradiderit demoni per
peccatum suam columbam vendidit et propter
hoc foras de templo eicitur. Sequitur Et
non sinebat ut quisquis transferret vas
per templum. Beda. De vasis illis dicit que
mercandi gratia inferebant. Ceterum absit
ut vasa deo dicata dominus eiceret de templo
vel inferre prohiberet in templum ubi
futuri examinis ostendit exemplum quia
districtus repellit reprobos et ne ultra ad tur-
bandam ecclesiam veniant extra eos libere com-
pescit. Sed et peccata que cordibus fidelium
inerant divinitus in missa compuncto tollit
et ne ultra repetantur divina eos gratia ad-
iuvat. Sequitur Et docebat eos dicens
Nonne scriptum est domus mea domus oratio-
nis vocabitur cunctis gentibus. Ieronimus Iuxta
ysaiam. Vos autem fecistis eam speluncam
latronum iuxta Ieremiam. Beda. Omnibus
inquit gentibus non unigentis iudee. Nec
in uno Ierusalem urbis loco sed in toto orbe
terrarum et nequaquam thaurorum et hircorum

et arctum. Sed omnes Theophilus Speluncam autem latronum templum nominat propter lucrum. Cavernas namque latronum ad latrocinandum se congregat. Quia ergo illi animalia que ad sacrificium oblata erant causa lucri vendebant latrones ipsos dicit. Vel hoc enim in templo erant vel ut non dantes corporaliter persequerentur vel dantes spiritualiter necarent. Templum etiam et domus dei mens est et conscientia fidelium que si ex lesione proximum perversas cogitationes profert quasi in spelunca latrones resident. Ergo mens fidelium spelunca latronum fit quando relicta simplicitate sanctitatis illud conatur agere unde valet proximis nocere. Augustinus de consensu evangelistarum. Iohannes autem longe diverso ordine hoc narrat. Unde manifestum est non semel sed iterum hoc esse a domino factum. Sed illud primum commemoratur a Iohanne hoc ultimum ceteris tribus. Theophilus Quod etiam est in maiori redargutionem iudeorum quia cum dominus totiens fecit ipsi minime se correxerunt. Augustinus de consensu evangelistarum. In hoc etiam Marcus non eundem ordinem tenet cum Matheo. Sed quia Matheus ita contexit. Et relictis illis abiit foras extra civitatem in Bethaniam. Unde mane revertens in civitatem arborem maledixisse commemorat probabilius creditur ipse potius tenuisse ordinem temporis de vendentibus et ementibus et eiectis de templo. Pretermisit ergo Marcus quod prima die factum est cum intravit in templo et recordatus interposuit cum dixisset quod non invenerit aliquid in ficulnea preter folia quod die secundo factum est sicut ambo testantur. Glosa. Quem autem effectum correctio domini in ministris templi habuit ostendit evangelista cum subdit Quo audito principes sacerdotum et scribe querebant quomodo eum perderent. Sicut illud Amos Odio habuerunt corripientem in porta et loquentem perfecte abhominati sunt. Ab hoc autem tamen in quo proposito ad tempus solo timore retrahebantur. Unde sequitur Timebant enim eum quoniam universa turba admirabatur super doctrina eius. Erat enim docens eos sicut potestatem habens et non sicut scribe eorum et pharisei ut alibi legitur. Et cum vespere factum esset. Ieronimus Relinquens dominus post se

turbas in iudeorum cordibus ut solet egrediebatur de civitate ad aliam que est Bethania id est obediencie et hoc signatur cum dicitur. Et cum vespera esset facta egrediebatur de civitate. Beda Occidit sol et oritur sol. Lux enim ablata astris lucet in apostolis. Ipsum quod subditur Et cum mane transirent ipsi in civitatem euntes viderunt ficum aridam factam a radicibus. Theophilus Quod miraculum magis videtur in hoc quia tam humidam et viridem arborem ex templo siccavit. Marcus autem Matheus dicit sicut vero continuo arefactam et videntes discipuli admirati sunt non ad invicem sed mire a Marco audis sicut in crastinum arefactam vidisse discipulos. Nam sic intelligendum est hoc quod dicitur a Matheo quod non statim viderunt sed in crastinum. Augustinus Intelligitur autem non tunc aruisse cum viderunt sed continuo cum maledicta est. Neque enim arescentem sed penitus arefactam viderunt ac sic eam continuo in verbo domini aruisse viderunt. Ieronimus Ficus autem arida a radicibus synagoga est a Cayn et a ceteris a quibus omnis sanguis ab Abel usque ad Zachariam requiritur. Beda A radicibus autem arefacta est ficus ut ostenderetur gens impia non ad tempus vel ex parte corripienda exteriorum malis sibi et per penitentiam liberanda sicut sepe factum est. Sed etiam dampnacione ferienda vel arefacta est a radicibus ut ostendatur non solum humano exterminatus sed divino intus favore funditus destituenda. Nam et vitam perdidit in celis et terram in terris. Ieronimus Petrus autem agnoscit aridam et abscisam radicem cui succedit oliva pulcherrima fructifera vocata a domino. Unde sequitur Et recordatus est Petrus et dixit ei Rabbi Ecce ficus cui maledixisti aruit. Crisostomus Mirati autem Petrus et alii discipuli mirati sunt non erat perfecte fidei. Non enim erat magnum hoc deo. Quia ergo non manifeste noverant eius virtutem eorum ignorancia fecit eos in admiracionem prorumpere. Et ideo subditur. Et respondens Ihesus ait illis. Habete fidem dei. Amen dico vobis quia quicumque dixerit huic monti tollere et mittere in mare et non hesitaverit in

corde ſuo ſed crediderit quia quecumque dixerit
fiat fiet ei. q. d. Non ſolum legimus ſiccare
poteritis ſed et montem iuſſu precepto tranſ-
mutare. Theophilus Miratur autem diuinam virtutem
qualiter nobis appropinquantibus ad eum per fidem
immaculatam virtutem condonat quam ipſe poſſidet
per naturam, vt etiam montes tranſmutare
poſſimus. Beda Solent autem gentiles qui
contra eccleſiam maledicta ſcripſere improperare
nobis quia non habuimus plenam fidem dei, quia
numquam montes transferre potuimus. Quibus
reſpondendum eſt non omnia ſcripta eſſe
que in eccleſia ſunt geſta ſicut et de factis
ipſius Chriſti ſcriptura teſtatur. Fieri autem po-
tuit ſi neceſſitas id fieri popoſciſſet, quomodo
factum legimus patribus Gregorii neoceſa-
rienſis cum precibus mons tantum ſpacii
reliquit ſtructoribus eccleſie quantum opus
habuerant. Criſoſtomus vel aliter. Quia
ficus non propter ſe ſiccauit ſed in ſignum iſtum
ad infructificationem peruentiue et ad demonſtra-
tionem virtutis ſue ſic intelligendum eſt et de
promiſſione que eſt circa montem quamuis
huiuſmodi tranſmutatio non ſit impoſſibilis ſecundum
dei virtutem. Ieronimus Populus igitur qui eſt
mons creſcens de lapide abſciſſo ſine ma-
nibus tollitur et mittitur in mare quia apoſtoli
dixerunt Digne transferamur ad gentes alias
quia vos indignos iudicaſtis audiendo
verbum dei. Beda Vel quia montis nomine
dyabolus ſignatur propter ſuperbiam. Mons ad pre-
ceptum eorum qui fortes fide ſunt tollitur
de terra et in mare precipitatur, cum predicantibus
verbum dei doctoribus ſanctis immundus ſpiritus
ab eorum corde repellitur qui ad vitam ſunt pre-
ordinati et in turbulentis amariſque in-
fidelium mentibus veſaniam ſue tyrannidis
exercere permittitur. Quos quanto acrius de-
ſeuit, quanto amplius dolet de leſione
priorum fuiſſe depulſum. Sequitur Propterea
dico vobis omnia quecumque petitis oran-
tes credite quia accipietis et venient
vobis. Theophilus Qui enim ex affectu credit
manifeſtum eſt quia in deum erigit cor ſuum
et illi coniungitur et certificatur cor eius ca-
lefactum quaſi ſuam petitionem iam conſecutum. Quod

quidem intelligibile eſt ei qui paſſus eſt
hoc. Et inexpertis quidem videtur illos hoc pa-
ti qui menſuram et modum attendunt. Propter
hoc dominus dicit quod omnia accipietis que cum fide
petieritis. Qui enim credit ſe tantum diſpoſitum
adeo cum lacrimis intercedens et quaſi dominum pedes
in oratione tenens ſe cogitans que iuſte poſtulat
conſequitur. Vis autem et aliter que petis
accipere, dimitte ſi quid contra te peccauit
frater tuus, et hoc eſt quod ſubditur Et cum ſtabi-
tis ad orandum dimittite ſi quid habetis aduer-
ſus aliquem vt et pater veſter qui in celis eſt
dimittat vobis peccata veſtra. Ieronimus Sep-
tem orationis dominice Marcus ſuo more in vna
oratione comprehendit. Is autem cui dimiſſa ſunt
omnia peccata quid amplius rogabit niſi
quod perſeueret in eo quod obtinuit. Beda No-
tanda eſt autem diſtinctio deprecantium: qui per-
fectam habent fidem que per dilectionem operatur, ille
orando vel etiam iubendo poteſt transferre
montes ſpirituales, quod fecit Paulus de Ely-
ma mago. Qui vero tante faſtigium per-
fectionis necdum conſcendere queunt
poſtulent ſibi peccata dimitti et impetra-
bunt, ſi tamen ipſi peccantibus aliis primo
ipſi dimittant. Si qui autem hoc facere contemp-
nunt, non ſolum orando virtutes facere ſed nec
ſuorum preteritorum veniam conſequi peccatorum. Et
hoc eſt quod ſubditur Quod ſi vos non dimi-
ſeritis nec pater veſter qui in celis eſt dimittet
vobis peccata veſtra. ¶ Et veniunt rurſus
Ieruſalem. Theophilus Quia dominus de templo
eiecerat eos qui in templum quaſi tabernam
rerum venalium faciebant, irati fuerant
et ideo accedunt vt interrogent et temptent.
Unde dicitur Et veniunt iterum rurſus Ieruſalem
et cum ambularet in templo accedunt ad eum
ſummi ſacerdotes et ſcribe et ſeniores et
dicunt illi In qua poteſtate hec facis et quis
dedit tibi hanc poteſtatem vt iſta facias.
quaſi dicerent Quis es tu qui talia facis
Numquid te doctorem conſtituis et te ordi-
nas principem ſacerdotum. Beda Et quidem
cum dicunt In qua poteſtate hec facis de dei
dubitant poteſtate et ſubintelligi volunt
dyaboli eſſe quod facit. Addentes quoque Quis
dedit tibi hanc poteſtatem. Manifeſtiſſime

dei filium negant. quem putant non su-
is sed alienis virtutibus signa facere Theophilus
Hoc autem dicebant cedentes ipsum in iudica-
tionem reducere ut si diceret In potestate
mea ipsum tenerent. Si autem diceret in potestate
altius ab eo ipsum discedere privarent qui
ipsum deum esse credebat Dominus non interrogat
de iohanne non frustra neque sophistice sed
quia de eo iohannes perhibuerit testimonium
Unde sequitur Ihesus autem respondens ait
illis Interrogabo vos et ego unum verbum et
respondete michi et dicam vobis In qua
potestate hec faciam baptismus iohannis de celo
erat an ex hominibus respondete michi Be-
da. Poterat quidem dominus apta respon-
sione temptatorum calumpnias confutare.
sed prudenter interrogat ut suo vel silencio
vel sententia condempnentur quod apparet ex eo quod
subditur. At illi cogitabant secum dicentes
Si dixerimus de celo dicet Quare ergo
non credidistis ei. Quare quem confitemini
de celo hunc esse prophetam in testem perhibuit
et ab illo audistis in qua ista facio potestate.
Sequitur Si dixerimus ex hominibus timemus
populum omnes enim habebant iohannem quia vere pro-
pheta esset. Viderunt ergo quodlibet horum
respondissent in laqueum se casuros. time-
tes lapidationem. sed magis timentes veritatis
confessionem Unde sequitur Et respon-
dentes dixerunt ihesu. Nescimus Jeronimus De lu-
cerna mundi obscurantur ut dicitur Paravi
lucernam christo meo Inimicos eius induam
confusione Sequitur. Respondens ihesus
ait illis Neque ego dico vobis in qua potestate
hec faciam Beda q. d. Non vobis dico
quod ~~dico~~ scio quia non vultis fateri quod
scitis Notandum autem quod duas ob causas
maxime scientia veritatis est celanda querentibus
cum scilicet is qui querit aut minus capax
est ad intelligendum quod querit aut contemptu
veritatis vel aliquo alio indignus est cui
debeat aperiri quod querit Capitulum xii

Et cepit illis in pa-
rabolis loqui Glosa
Postquam dominus pru-
denti interrogatione tem-
ptatorum ora concluserat
consequenter eorum ma-

liciam parabolice demonstrat addens Et cepit
illis in parabolis loqui Vineam pastinavit
homo et circumdedit ei sepem et fodit lacum
et edificavit turrim et locavit eam agricolis
Jeronimus Homo deus pater dicitur humano af-
fectu Vinea domus israel est Sepis est
custodia angelorum. Lacus est lex Turris
templum. Agricole sacerdotes Beda Vel
sepis murus est urbis. Lacus sive torcular
aut altare sive illa torcularia quorum tres
psalmi titulo prenotant Theophilus Vel se-
pis est lex prohibens eos alienigenis com-
misceri Sequitur Et peregre profectus est.
Beda Non loci mutatione sed abire
videtur a vinea ut vinitoribus liberum o-
perandi arbitrium derelinquat Sequitur Et
misit ad agricolas in tempore servum ut ab a-
gricolis acciperet de fructu vinee Jeronimus
Servi missi prophete fructus vinee obedien-
cia est De prophetis alii cesi. alii vulnerati
alii occisi sunt Unde sequitur Qui apprehensum
eum ceciderunt et dimiserunt eum vacuum Beda
Servus qui primo missus est apte legifer moy-
ses intelligitur Sed cesum eum dimiserunt
vacuum irritaverunt enim moysen in castris Sequitur
Et iterum misit ad illos alium servum et illum
in capite vulneraverunt et contumeliis affece-
runt. Servus alter david regem et
ceteros psalmistas significat Sed et hunc
affecerunt contumeliis in capite vulneraverunt
qui psalmistarum carmina parvipendentes. ipsum
david abiecerunt dicentes. Que nobis pars
in david Sequitur Et rursum alium misit
et illum occiderunt Et plures alios
quosdam cedentes alios vero occidentes
Tercium cum suis sociis servum prophetarum chorum
intellige Sed que prophetarum non sunt per-
secuti. Hiis sane tribus servorum gradibus
omnium sub lege doctorum figuram possumus compre-
hendi dominus alibi premittat dicens quoniam
necesse est impleri omnia que scripta sunt in lege
moysi et prophetis et psalmis de me Theo-
philus Vel aliter per primum servum intellige
prophetas qui circa tempus helye fuerunt quem
micheam verberavit Sedechias pseudo-
propheta. Secundum vero servum quem in capite vul-
neraverunt et affecerunt iniuria intellige